



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Feria 6. Quæ parasceve dicitur. De sexto Christo verbo. Consummatum est. Et de absoluta consummatione, quæ supersunt in hac vita, ut consummemur cum Christo. Aut nihil hodie ages, aut sic semper ages.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44214

1. Cor. 10.
Ephes. 4.

eum reverà nulla sit cuiusquam perfectio, nec ulla Dei gloria, nisi sic temperatè & conformiter ad Divinam ejus voluntatem ordinentur, quæ ponit mensuras & gradus uniuscujusque statui & perfectioni. Secundum mensuram regulæ, quæ mensus est nobis Deus. SECVNDVM operationem, in mensuram cuiusque membri.

1. Thim. 3.

Unde manifestè patet, rem ipsam, quæ postulat ut desideria ferveant, exigere etiam ut temperentur; quia ipsa est Divina voluntas in omnibus desideris proposita, & ardentè quidem desideranda ut fiat: sed temperatè simul desideranda, ut ne aliter fiat quam ipse Deus ordinet. Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum, apert vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se, per Iesum Christum. Hoc est scilicet desiderium temperatè ardens, & ardentè temperatum.

III. PUNCTUM.

1. Thim. 3.

1. Thim. 3.

Apparet ergo evidenter, quàm necessariò duo illa, quæ videntur repugnare, sint simul conjungenda; & quàm aded non unum destruat aliud, ut potius sese murò stabiliant, & velut duo rivi ex eodè fonte scaturientes, qui simul coeant & irrigent uberius terram cordis arentem & siccantem; sicut rivi aquarum in siti, ait Propheta. Horum verò duorum defectum in nostris desideriis manifestè arguit sanctus Iacobus: *Concupiscitis & non habetis: & non habetis propter quod non postulatis. Petitis & non accipitis, eo quod malè petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.* Quod enim ait, non postu-

lari, defectus ardoris est; quod verò addit malè peti, ut quod petitur in concupiscentiis insumatur, ardoris excessus est, & defectus temperamenti, quod Sapiens sapienter suggerit, primò inquitens, *Anima vestra sitiunt vehementer: tum subiiciens: suscipiat anima vestra disciplinam: id est addiscat & servet modum formandi sui desiderii.* Vide propterea librum tertium de Imiratione Christi capite undecimo, tricesimo octavo & tricesimo nono: ubi de his copiosè. Expende hæc inter alia; *Desideria te sæpe accendunt & vehementer impellunt, sed considera an propter honorem meum, an propter tuum commodum magis movearis.* Si ego sum in causa, bene contentus eris quomodocunque ordinaverò; si autem de proprio quasitu aliquid latet, ecce hoc est, quod te impedit & gravat. Committe mihi semper causam tuam, ego bene disponam in tempore suo. Expecta ordinationem meam, & senties inde profectum. Non est minimum in minimis seipsum relinquere. Versus profectus hominis est abnegatio sui ipsius, & homo abnegatus valde liber est & securus.

Eccles. 51.

Plura de desiderii vide in 1. parte, Feria 5. hebdomadæ 1. Adventus. In 2. parte, tota hebdomada Ascensionis Domini, & Sabbato vigiliæ Pentecostes. In 3. parte, Feria 5. hebdomadæ 3. In 4. parte, hebdomada 26. & alibi passim.

De Cœna vero Domini, & de Sanctissimo Sacramento, seu etiam de Communionem, Vide in 1. parte Dominica 4. Adventus & Sabbato hebdomadæ 3. post Epiphaniam. In 2. parte, Feria 5. Septuagesimæ, & Feria 6. hebdomadæ 4. post Pascha. In 3. parte, totis duabus primis hebdomadis: necnon Feria 5. 6. & Sabbato hebdomadæ 13.

FERIA SEXTA.
QUÆ PARASCEVE DICITVR.
DE SEXTO CHRISTI VERBO.

Consummatum est. Ioan. 19.
ET DE ABSOLUTA RENUNTIATIONE OMNIUM QUÆ SUPERSUNT
IN HAC VITA, UT CONSUMMEMUR CUM CHRISTO.

VERITAS PRACTICA.

Aut nihil hodie ages, aut sic semper ages.

RATIO est, quia nisi eorum omnium, quæ aguntur hodie, finem assequaris, nihil à te actum

existimari prudenter potest.

Sed eorum finem non assequeris, nisi sic semper perseveres.

Ergo aut nihil hodie ages, aut sic semper ages.

Aa 3

I. PUN-

I. PUNCTUM.

SIC piis affectibus indulgendum, ut quod est præcipuum ad absolutam Reuocacionem non omittatur. Ad utrumque autem plurimum valet attendenda Consideratio expirantis in Cruce Christi, & sic omnia consummantis. *CONSUMMATUM EST*, inquit, & inclinatio capite, tradidit spiritum. O verbum penetrabilius omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus! *Consummatum est!* nempe illud omne quod in mandatis à Patre habebat, nihil planè omisium; *Opus consummavit quod dedisti mihi Pater.* O verè Consummatorem Iesum! *Ioan. 19. Hebr. 4.*

Ioan. 19. Hebr. 12. Sed quo tandem modo, quo labore, quo pretio? Audi anima, hoc iterum audi, *Consummatum est*, id omne scilicet quod erat homo Christus, en totum Corpus lacerum, totus profusus Sanguis, totum exhaustum robur, totæ disfluxerunt vires, totus vitalis humor exaruit; En Cor exsuccum, en vita deficit, en totius hominis dissolutio, dum inclinatio capite tradidit spiritum!

Ier. 2. *Obstrepescite cæli super hoc & porta eius desolamini vehementer, quam merito sol obscuratur, terra moveretur, petra scinduntur, & monumenta aperiuntur! Proh Deus immortalis! tantine valet salus unius animæ, ut pro mea salute Anima Christi, tã crudeli morte separanda fuerit à suo corpore! Quid hic satis dignum cogitem! aut potius quid nimis indignum cogito, dum contempior non me minori valere pretio quàm valet Sanguis & Vita Christi! Nonne satius erat me perire quàm talem vitam! aut certè si aliter visum Christo, si maluit se perire quàm me; egone me post tot impensas perdam! Certè Consummatum est quantum ex parte Christi quidquid ad salutem spectat, sed mea etiam ex parte, quod superest consummandum est. *Vna enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, inquit Apostolus. Quid porro est illud, quod superest, nisi quod ait idem: *Ve qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est?* Hæc est Christi morientis intentio, hic finis eorum omnium, quæ in eius memoriam hodie tanto aguntur apparatus. Unde ex omnibus ad praxim hodie considerandis, hæc una potissimè perpendi debet *Veritas, Aut nihil hodie ages, aut sic semper ages.**

Expende illud Apostoli iam id est, deinceps, semper, continuo, & ita constanter, ut si non ita semper, nihil fiat. Cum enim in omni negotio ita semper spectetur finis, ut omnia ad eum dirigantur, & nihil actum putetur, nisi finis propositus attingatur; certè id multò magis in eo, quod agimus, negotio, spectandus est ille finis, qui nobis hodie proponitur in recolenda morte Christi Iesu, & qui non potest non esse excellentissimus pro quo tam multa impenduntur. *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa*, inquit Apostolus, quasi diceret, quidquid passi fueritis, nisi illud, propter quod passi estis, retineatis, frustra passi estis. Itemque paulo post in hunc eundem sensum: *Timeo de vobis, ne sine causa laboraverim in vobis*: Si scilicet illud, propter quod laboravi, vobis depercat, sine causa laboravi, nec tantum mihi dolori est laborasse, quantum mihi erit, nihil meo labore profuisse. Sic tibi à Christo moriente dictum puta.

II. PUNCTUM.

SED finem tibi propositum non assqueris, nisi sic semper perseveres.

Jam dictum est ex Apostolo hunc finem esse, *ut qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* Et quidem hodie sic Christo vivere non recusas; Quanti de illo sensus, quam crebri & frequentes in eum animi tui motus! quam libenter propter ipsum te privas multis, & omnia tua in eum unum refers! Velle hodie permittere aliquid sensualiter? Velle sine vel leve peccatum admittere? Velle sine illum vel leviter offendere, quæ vides pro te morientem? Certè nolles, nonne id affirmares? Hoc est videlicet illi vivere & tibi mori, hoc est, quod ait Apostolus: *Ve qui vivunt iam non sibi vivant, id est, nullos vitæ actus propter se, propter commoditatem, propter delectationem & honorem producant; sed omnia cogitata, omnia verba, omnia facta, omne illud tandem, quod vivunt, ad illum referant, qui pro ipsis mortuus est, ut sic sibi mori discant & ipsi vivere.* Nonne id æquum? Certè sic iudicas hodie, sic hodie profiteris. At quamdiu sic vivendum putabis? quamdiu sic tibi nihil, & illi omnia? An tantum hodie, ut fieri solet, vel aliquot post diebus? Hoc est, quod tibi modò dicitur,

tur, hoc est, quod seriè expendendum, nisi sic semper perseveres in illa puritate vitæ propter Christum degendæ sicut hodie vivendum nosti, non allequearis finem tibi propositum, quia sic semper Christo vivendum, & nunquam tibi. *Non estis vestri: Empti enim estis pretio magno.*

1. Cor. 6.

Non est quidem semper junandum aut orandum sicut hodie, sed quantum spectat ad eam vitæ puritatem & innocentiam, quæ omne profus peccatum & sensualium motuum ablegat, tanta est obligatio sic in singulos dies vivendi, quanta est hodie. Ac proinde nisi sic deinceps vivere constitutum habeas, finem hodiernum non attingis. Quasi verò in unum duntaxat diem tale Christi promeritum constringatur! Mors non est divisibilis: Quisquis est mortuus, aut omnino & in omne tempus est mortuus, aut nullo modo est mortuus; sicque cum suis intentus sit planè mori nobis, nisi sic semper mortui simus, finis non

1. Cor. 4.

obtinetur. *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* O votis omnibus optanda mors, quæ in talem vitam, qualis est vita Jesu, commutatur!

III. PUNCTUM.

ERGO aut nihil hodie ages, aut sic semper ages. Nisi enim allequaris finem, vidisti, quod nihil agas; & nisi perseveres, aut certè deliberatum omnino habeas cum Dei Gratia perseverare in illa vitæ puritate, quæ non sua sed Christum querit, non allequeris finem propositum. Quid ergo superest nisi alterutrum ex his duobus, aut te nihil hodie agere, aut si

quid bene agis, sic semper agendum? Licet enim ieiunes quantum vis strictissime, licet plores & mediteris tota die, cum tamen ista omnia non fiat finis propositus, nihil agis. Quod si puriori quidem & sanctiori vitæ simul studeas, nec tamen hoc studium concinues, nihil item agis: quia in continuando per totam vitam studio, totum est positum. *Vt qui vivunt, inquit, iam non sibi vivant, hoc est, quamdiu deinceps vivent vita naturali, non vivant vita sensualis. Non aliis finitur terminis hæc mors vitæ sensualis quam ipsius vitæ naturalis; & potius optandum non vivere vita naturali quam non mori vita sensuali; dicendumque cum Apostolo: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.**

Non est nostrum statuere de vitæ naturalis diuturnitate: sed planè nostrum est cum Divina Gratia, quod quam diuturna hæc erit vita, tamdiu mors illa duret, qua debes hodie mori, aut illa pretiosa in conspectu Domini morte non morieris, sicque nihil ages, quia hoc maximè est agendum, ut sis de illis, quibus dicitur, *Mortui estis & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* Itane verò nihil ages hodie pro tuo Christo? Nihil ex eius morte referes? Nihil ex hac Meditatione? nihil ex audita passione, nihil ex tot lamentis, tot planctibus & ceremoniis? Planè nihil, nisi hodie tibi moriaris, & nisi quod hodie inchoaris, sic usque ad mortem compleas & consummes cum Christo Jesu. *Aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum.* Vide in 3. parte, Feria 5. hebdom. 2. Ubi hæc habetur Veritas:

Phil. 1.

Coloss. 3.

Hebr. 12.

Satius esset nullo die velle vivere, quam non omni die velle cum Christo mori.

IN EADEM DIE PARASCEVES. AD ILLUD IDEM APOSTOLI:

Qui vivunt iam non sibi vivant. 2. Cor. 5.

VEL IN ILLUD EJUSDEM,

Non estis vestri, empti estis enim pretio magno. 2. Cor. 6.

VERITAS PRACTICA.

Nihil est in vitæ nostræ usu minus nostrum, quam ipse vitæ usus.

SENSVS & Ratio est, quod nihil minus est usurpandum tanquam suum, quam quod magis est alterius; nihilque magis alterius, quam quod alter vel potiori iure postulat, vel aequiori negat se inuito usurpari.

Sig. in.